Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 907

Quelle:
Copyright:

1539. p. 95. et in edit. 1672. p. 88. Item T. X. *Aug.* ſuprac. *col.* 197. ſed ſtatim in *Reſp.* 1. Codex noſter melius omnibus legit: *non ex cognitione dei*, quam *ex conditione dei.* Ad calcem minio: *Expliciunt reſponſiones ad capitula Gallorum.*

III. *fol.* 19. *Incipiunt Reſponſiones contra capita obiectionum Uincencianarum.* Circa idem tempus cum ſuperioribus datas autumant Editores *de l'Hiſt. lit. de la France* T. II. p. 385. objectiones vero non a *Vincentio Lirinenſi*, ſed ab alio *Vincentio* in *Provincia* Presbytero profectas, de quo agunt p. 413. Praefatio incipit: *Quidam Chriſtianę ac fraternę caritatis obliti* &c. Opuſculum ipſum inſcriptum eſt: *Incipiunt capita obiectionum. quibus ad ſingula reſpondetur. Quod Dominus noſter ihesus chriſtus non pro omnium hominum ſalute* &c. In *Reſp.* 1. a noſtro *Cod.* abeſt: *et ſolus*, ſed melius legit cum *Maurianis* ſuprac. *col.* 208. *ad magnitudinem — pretii*, quam *Lugd.* poſterior *ad imaginem.* Non eſt ad manum *Pariſina* 1711. ut cum ea Codicem contendam.

IV. *fol.* 25. char. quadr. nigro: *Incipiunt Reſponſiones Ad Excerpta Quę de Genuenſi Ciuitate ſunt Miſſa.* Inſcriptae ſunt: *Camillo. Et Theodolo. Uenerabilib. Presbyteris*, et ordiuntur: *In libris beatę memorię auguſtini epiſcopi quorum titulus eſt de prędeſtinatione ſanctorum* &c. Extant in *Lugd.* priore p. 118. in poſter. p. 96. Haec editio in *Reſp.* 2. omittit illa verba: *Utrumque noſtrum eſt propter arbitrium uoluntatis*, quae in *Cod.* noſtro et *edit.* priore leguntur, uti et in T. X. Opp. *Auguſt.* ſuprac. *append. col.* 214.

V. *fol.* 33. char. quadr. nigro: *Incipit Reſponſio Sancti Auguſtini Ad Dulcitium De Octo Queſtionibus Ab Eo Miſſis.* Initium: *Quantum mihi uidetur fili dulciſſime dulcici! non tardaui reſpondere* &c. Legitur T. VI. *Opp.* edit. *Maur. col.* 121. ſed ibi paullo poſt initium habetur: *poſt tres menſes redire permiſſus ſum.* Noſter omittit *menſes*, ut adeo de *diebus* ſermo eſſe videatur, cum mox ante *quindecim dies* memorati fuerint.

VI. *fol.* 47. p. 2. ead. forma: *Incipit De Prediſtinatione Diſputatio. VI. Auguſtini. Yponoſticon Aduerſus Pelagianos. Seu Celeſtianos Hereticos.* Ingreſſus: *Attendere etiam hoc quam maxime. huic operi oportet. ut et ueſtra calumnia* &c. Variat is ab edit. *Maur.* T. X. Opp. *Aug.* append. *col.* 42. ubi legitur: *Licet latius de gratia et libero arbitrio jam ſuperius diſputatum ſit: tamen addere etiam non nihil quam maxime huic operi oportet; ut et veſtra calumnia* &c. *Auguſtini* non eſſe VI. των Υπογνωστικων ſeu τω Υπομνηστικω Libros inter omnes nunc convenit. *Joh. Garnerius* Diſſert. VI. *de Scriptis adverſus Haereſ. Pelag.* T. I. Opp. *Marii Mercatoris. Pariſ.* 1673. c. 6. p. 362. in *Sixtum* Presb. *Romanum*, qui *Coeleſtino* in Sedem apoſtolicam

ſuc-